

5  
DISSERTATIO IN AVGVRALIS

DE

I V R I B V S

QVAE PER AGGRESSORIS OCCISIONEM  
DEFENDERE LICET

QVAM

INDVLGENTE AMPLISSIMO IVRE CONSULTORVM

ORDINE

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES

LEGITIME CAPESSENDI

DIE V. AVG. A. O. R. CCCCC.

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

IN AVDITORIO MAIORI

PUBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI

SVBIICIT


WILHELM EPHRAIM  
TORTILOVIUS

DIRSAV. PRVSSVS OCCIDENTALIS.


Toren

REGIOMONTI,  
TYPIS HARTVNGIANIS,

OPPONENTIVM PARTES TVEBVNTVR  
HORIS ANTEMIRIDIANIS  
**ADOLPH. CHRISTIAN. DAVID**  
**OLSZEWSKI**  
MARIAE-INSVLANVS PRVSSVS.  
**STANISLAVS DE SENDZIMIR**  
NEO-PRVSSVS ORIENTALIS.  
**IOHANN. BENIAMIN. LEOPOLD.**  
**BORDFELD**  
REGIOMONT. PRVSSVS.



Pol. 8. II. 2563/



AVO SVO  
CARISSIMO AC DILECTISSIMO  
EX ASCENDENTIBVS SOLI SVPERSTITI  
**EPHRAIM GOTTLLOB**  
**BRAVER**

A. C. ADDICTOR, AD AEDES S. GEORGII  
DIRSAVIENSES PASTORI

HOC

QVIDQID EST LIBELLI  
PIAE ET GRATAE MENTIS MONVMNTVM QVALECVNQVE  
QVA DECET REVERENTIA AC PIETATE

D. D. D.

*AVCTOR.*



*Aue  
per quam dilecte.*

Quantulacunque haec, quae accepisti, typis  
mandare necesse habui ad assequendam iurium  
Doctoris dignitatem, quam petere mei consilii  
esse usque nunc Te celavi, ut inopinatum fal-  
tem gratias Tibi accideret. Nam opusculi, quod  
misisti, qualitatem delectationem nullam allaturam  
esse, aequali modo et dolet et persuasum mihi  
est. Tantum enim absfuit, ut in iuridico isto  
atque a studiis Tuis alieno caput, quod ad iura

per-

pertineret, aliquod pertractarem, vt potius de articulo quodam differere conarer. Verum tamen sit mihi, quae velit, aliquid addiscendi litterisque studendi facultas, Tibi acceptam eam refero omnem. Nam infanti orboque parentum Tu mihi victum, puero et iuueni praeterea educandi ac docendi operam aerumnosam dedisti; pro patre semper fuisti atque amico; immo patri debeo vitam naturalem, Tibi huma-

nam

nam et quam in litteris viuo. Valde laetor oc-  
casione gratum erga Te palam me profitendi.  
Vt gratiarum, quas Tibi et ingentes et iustissi-  
mas debo, studium ac pietatem significarem,  
specimen diligentiae meae primum quantulum-  
cunque nomine mihi carissimo Tuo inscripsi.  
Iam magnopere oro, vt ne metiaris gratiarum  
magnitudinem operis vilitate. Accipe istud illa  
cum beniuolentia, quam semper Tui erga me  
experi-

expertus sum; indulge iuuenis imbecillae aetati.  
Vale, mi Aue perquam iucunde, vale, vale et  
salue, fruere cruda ac viridi senectute, longeque  
superstes saue futuro

T u i

*nepoti studiosissimo.*

---

*De  
iuribus, quae per aggressoris occisionem  
defendere licet.*

§. I.

**N**on dubitamus, quin ei, qui scire leges esse verba earum tenere opinatur, si ille de ICtorum dissensionibus audierit, mirum videatur, in scientia quam firmissimis fundamentis nitent tam varie semper disputari. Iis autem, qui leges et difficultates, quae in earum applicatione occurunt, accuratius perspiciunt, quam multum hic dubitari possit, facile appareat. Scripta ICtorum legendo mox docemur, nullam fere huius scientiae latissi-

B

me

me patentis partem altercationibus prorsus vacare, ita ut difficile esse credendum sit, in hoc disciplinarum genere locum aliquem tractare, neque simul aliorum sententias offendere. Quam difficultatem et nosmet sentimus, qui de eo quoque, cui hasce plagulas destinauimus, multifariam disceptari haud ignoramus. Neque vero de hac re differentes omnia, quae in ullam partem disputata hic inueniri possint, cum et tempore et conditionibus prohibeamur, explicabimus; neque, quod temerarium foret, sententiam nostram, quae refutari nequeat, futuram esse, contendimus. Sed quae nobis videantur, et rationes, quae nobis persuaferunt, explicare conabimur.

## §. II.

Scriptores, quorum de defensione necessaria scripta usque ad hoc tempus legimus, aggressorem iniustum sui defendendi caussa occidere omnes permittunt. Definitionum etiam, quas de moderamine inculpatae tutelae singuli proposuerunt, discrepantiae adeo leues mihi videntur, ut non dubitem, quin unusquisque eorum facile sit concessurus, a) esse moderamen inculpatae tutelae occisionem aggressoris iniusti per legitimum defensionis exercitium factam, ideoque ab homicidii poena quacunque.

a) CARPZ. Pract. crim. P. 1. qu. 28. n. 18. Huc refert aduersarii et interfectionem et debilitationem.

que tam ordinaria quam extraordinaria (ob excessum scilicet tantummodo irroganda) liberam. Sed verbis iisdem quam maxime diuersa saepius significari, nemo est, qui ignoret. Manet hic quoque vni cum altero contentio de eo, quid sit defensionis istud exercitium legitimum, et quando lex violetur? Nos autem si totam hanc materiam pertractare vellemus, multarum plagularum opus conscribere, necesse esset. Quamobrem omnissimis caeteris, id tantum nobis sumimus, ut disquiramus, quaenam iura per aggressoris occisionem tueri liceat? Multum hac de re scriptores inter se dissentunt. Sunt enim, qui licentiam istam ad solum vitae corporisque periculum restringunt b); alii bona addunt c); alii denique etiam honoris tuendi causa occidere permittunt. d)

## B 2

## §. III.

- b) HUGO GROTIUS de I.B. et P. L. II. c. 1. I.H. BOEHMER introd. in ius Pandectar. ad l. Cornel. de siccari. §. 7. VLR. HUBER prael. ad ff. eod. tit. §. 9. p. 543. b. IOH. VOET commentar. ad ff. eod. tit. §. II, et qui sunt reliqui.
- c) CARPZ. pract. crim. P. I. qu. 28. pr. qu. 32. n. 32. IOH. SAM. FR. DE BOEHMER meditat. ad C. C. C. art. 140. §. 3. OBRECHT Disl. de defensione necessaria, c. 8. n. 1. 2. 3. 7.
- d) ENGAV elem. iur. crim. L. I. §. 335. HELLFELD iurisprud. for. T. II. §. 2052. Compendium iuris criminalis (Paalzov) Haiae 1789. pag. 313. CARPZ. I. c. qu. 28. pr. in homicidio ob iniurias commisso poenam gladii cessare quidem negat, sed plenum inculpatae tutelae moderamen in bonorum tantum non vero honoris periculo concedit I. c. qu. 30. n. 35. 67.

## §. III.

Priusquam arteam ad iura singula per caedem defendere licita, legesque quae huc spectant, positivas aggrediamur, licet nobis, ad ius naturale redire, eiusdemque e rationibus ipsum iuris nosmet defendendi fundamenta explicare. Ratione ipsa homines docentur, eam unicam ducem sequendam, omnesque actiones nostras per eam solam regendas esse ac moderandas. Quare sicut nefas habetur, pro ratione libidinei sequi, ita magis adhuc et impium est et iniustum, alios homines cogere, nostrac potius libidini, nostroque arbitrio, quam ipsorum rationi parere e), siue eosdem laedere. f) Atque ex hoc fonte, quae originem ducunt, officia et iura perfecta dicuntur. g) Quodcumque igitur in iura hominum perfecta committitur, a ratione iuberi nequit. Eiusmodi aliquid molienti, quominus illud perficiat, obstatre atque officere absque dubio nobis licet,

cum

- c) SCHMALZ, quem praceptorum veneror, Recht der Natur, Th. I. §. 5. 6. 39. seqq. KANT Metaphysik der Sitten, Thl. I. Einleitung p. V. XXV. XXXIII. seq.
- f) SAM. DE PUFENDORF de officio hominis et ciuiis L. I. c. 6. §. 2. 3.
- g) HELLFELD iurisprudentia for. sec. ff. §. 3. I. F. LYDOVICI usus pract. distinct. iurid. L. I. Tit. I. D. I. HOEFFNER Naturrecht §. 26. 27. Ab aliis alio sensu haec verba accipiuntur. SCHMALZ l. c. §. 36. 37. Cf. LYDOVICI l. c. et KANT l. c. p. XXXIV.

cum homini tantum, ne rationi suae ille obediat, impedimento esse prohibeantur. h) Iam vero, cum actio quaecunque, qua alterius in iura nostra perfecta impetum coercemur, defensio dicitur, i) homini sese contra alios defendendi ius recte vindicari videtur. Nam quod mores praecipiunt, k) benefaciendo vincere inimicum, et pallium petenti etiam relinquere tunicam, cum in eo de nostro iure cedere, ideoque non solum emittere, sed etiam agere aliquid nosmet oporteat; omnibus casibus locum inuenire, atque in foro externo diiudicari nequit. l) Alium defendere nil est, nisi periculum, quod ipsi instat, auerteret. Quod faciendi ius nobis competere ex antea dictis appareat, quia omnia iure perfecto licent, quibus alios, quominus rationi suae obtemperent, non impedimus. Obligatio autem iura alterius, quando id fieri potest, conseruandi atque tuendi perfecta nulla est: sed ad humanitatis officia sola spectat. m)

### §. III.

h) GROTIUS de iure belli ac pacis. Proleg. §. 6-8. L. 1. c. 2. §. 1.  
n. 5. 6. KANT I. c. p. XXXV. §. D.

i) SCHMALZ I. c. §. 94.

k) Cf. GROT. de I. B. ac P. L. I. c. 3. §. 3.

l) SCHMALZ I. c. §. 42. 47. iunct. §. 37. 39. 44.

m) Id. I. c. §. 101.

## §. III.

Et hoc quidem est, quod nobis videtur, omne iuris sese defendendi fundamentum. Modus vero, quo quis iniuriam sibi imminentem propellere debeat, a iure naturae determinari non posse videtur. Sed periclitantis arbitrio, qua ratione id fieri possit, relinquendum est. n) Ipse enim extermum quodus iuri suo obstans recte remouet, aggressor autem hoc loco hominis personam non gerit, sed instar caussae coecae ac ratione currentis, ex qua periculum nobis imminet, habendus est o). Nec magis aliis hominibus ius aliquod diiudicandi, quomodo nos tueri debeamus, tribui potest; cum illi, quanti sit nobis ius periclitans, nesciant. Sed de iuribus quoque, quae parui facimus, cedere defensionemque, ut aggressori parcamus, omittere, humanitatis magis esse ducimus; nam eo, quod ius nostrum retinemus, laedi aduersarius plane nequit. Modus denique defendendi omnino ratione eius quoque ipsius, in quem impetus factum est, praecipi nequit. Nam quae ad finem quandam alsequendum proficiant, eligere prudentiae potius est, quae praecepta sua ab experientia magis et a posteriori, vti dicunt, quam ratione ipsa repetit. Ratione tantum, defensionem

n) Cf. E. F. KLEIN *Grundsaetze des gem. Deutschen Peinl. Rechts* §. 37.

o) Personae duplicitis in delinquente distinctionem v. etiam ap. KANT I, c. *Einleitung* §. D. *Anfangsgr. d. R. L.* p. 232. 233.

nobis licere, docemur, eiusque nil interest, quomodo eum, qui nos aggreditur, laesionem omittere cogamus. Quare iniuria ab altero nobis imminens, caussa quidem recte dicitur, cur iuste ei nocemus, minime vero per caussam illam iuris se defendendi inde oriundi fines definiuntur; sed ortum semel in infinitum illud iuste exerceri videtur. p)

### §. V.

In statu igitur naturali cum ob minima quoque momenta defensionem ad caedem vsque extendere nobis liceat; iam quaestio nostra eo redit, num eadem hominum singulorum licentia tum quoque obtineat, cum praeter leges illas naturales, aliae etiam, quae conduntur in republica, ciues obstringunt; an, et quatenus illa per istas leges limitari possit? Finis, quem in republica constituenda, homines habuerunt, quidquid alii contra dicant, in eo positus esse videtur, vt iura singulorum perfecta conseruarentur, viribusque etiam omnium coniunctis ea-

dem

p) KANT I. c. Einleitung p. XLI. Qua tamen de re aliis dissentire non ignoramus, inter quos videmus etiam HVGON. GROT. de I. B. et P. L. II. c. I §. 8. quem hocce colligere oportuit ex iis, quae dixerat in §. 3. verb. Notandum est. Ex accidente vero sicut donandi, ita defensionem quoque omittendi obligationem oriri posse, neque negamus, neque hoc loco, quo de iure non de moribus loquimur, contrarium contendimus. Cf. CARPZ, I. c. qu. 28. n. 10. II.

dem defenderentur q). Cuius consequendi modum praescribe-re, ii, qui societatem inierant, cum aliter perdurare ea neque-ret; r) personae cuidam commiserunt s), quo summa, quae dicitur, potestas constituebatur. Huic igitur soli, quae in so-cietatis utilitatem a ciuibus vel agendo vel omittendo fieri debe-ant, praecipiendi ius competit, eiusdemque ad praecepta ciui-bus parendum est. Quos etiam, iure sese defendendi naturali vti, summa potestas prohibere poterit, quoties reipublicae fini-vsum eius aduersari censuerit. t)

### §. VI.

Sed quaeritur, num cuilibet sui ipsius defensioni poenas pendere leges reipublicae possint, an possit inueniri, intra quos fines semet defendere ciuibus permitti debeat? Imperans, quem, vt iura vniuerscuiusque, qui in societatem sese contulit, conseruentur, curare oportet, eum quoque, quem se defendere ipsum prohibuit, tueri eique defensionis prohibitae loco alia re-me-

q) SCHMALZ l. c. Th. II. §. 43.

r) l. c. §. 71. sqq. S. DE PVFEND. de offic. hom. et ciu. L. 2. c. 5.  
§. 7. sqq. o. 6. §. 1. sqq. HOBBES elem. phil. de ciu. c. 5. art.  
3. seqq.

s) GROT. de I. B. ac P. L. I. c. 3. §. 3. 6. 7.

t) Id. l. c. §. 1. PVFEND. de off. hom. et ciu. c. II. §. 8.

media proponere tenetur, v) quae vel ad propellendam iniuriā, aggressoremque impediendum ne eum laedat x), vel laesionem saltem tollendam aequē ac vetitae proficiant. Num et quatenus eadem fini illi sufficient, dijudicare summe imperanti utique reliquendū est. Qua ex iure sequitur, ad iura, quae restitui plane nequeant, defendenda ciuibus quaecunque, quibus eorum laesionem propellere possint, permitti debere. Nam iure huiusmodi per propriae defensionis omissionem semel perditō ne incommodis quidem inde ortis, scilicet laesio[n]is durationi, remedium aliquod reperi[re]ri potest. Iura vero ea sola huc referenda sunt, quorum ipsa natura, restaurari eadem posse, cogitare nos prohibet. Nam eo, quod ius aliquod amissum futurum sit, ut vel ob casum aliquem superuenientem, vel ex sententia laesi restitui ipsi nequeat, minime efficitur, ut imperans remedia in locum prohibitorum a feneret substituta ad iuris eiusmodi reparationem non sufficere, scire queat; multoque minus ille impeditur, quo minus eadem sufficere fini proposito censeat. In civitate itaque quacunque huiusmodi iura per caedem etiam agreforis defendere ciuibus permitti debet.

## C

## §. VII.

v) HOBBES elem. phil. de ciu. c. 6. art. 3.

x) Vti sunt in iure Rom., quibus petitur cautio de non offendendo, damni infecti, et interdicta: ne vis fiat, aliquaque GROT. de I. B. ac P. L. II. c. 1. §. 2. Ex moribus saluas guardias et saluos conductus affert M. WESENBECIUS in comment. ad C. quando lic. vnic. §. 4.



## §. VII.

Atque haec quidem ad quaestionem, quando occisio in defendendo facta iusta dicenda sit, quae sola nobis proposita est, explicandam satis esse videri possint; sed ignoscatur nobis, aliam etiam de summae potestatis in republica iuribus regulam hoc loco proponere necessarium ducentibus. E fine reipublicae in ciubus singulis a iurum perfectorum laesione iunctim tuendis posito apparet, ciuum quemlibet ea, quae ad iura singulorum ope omnium tuenda necessaria videntur, vel agere vel de re sua impendere a summe imperante iuberi posse. Sed alius utilitati aliquid impendere, vel de iure suo cedere, ut alius ciuium illud acquirat, iuberi aliquis nequit, cum a fine dicto, qui in laesione et damno tantum auertendo non in lucro captando consistit, hocce sit alienum. Iniustum itaque illud dicendum esset; etiam si alio modo dannum quodcumque illico nobis resarciretur, quoties ius, quod nobis competeret, retinere voluissemus. Eademque iniuria, sed quae perspici facilius posset, afficeremur, iure alterius commodi caussa nobis ablato, eiusque supplendi nomine remedio quodam concessio, quo intentibus sperare nobis liceret, ius nostrum nos recepturos, neque semper eo carere necesse habituros esse. Quae cum ita sint, ratione iurium eorum, quorum e natura, restitui eadem neque re, non apparet, negandum est, posse ciues eatenus se defendere

dere a summe imperante prohiberi, quatenus id tantum agitur,  
vt aggressor, quominus nos laedat, impediatur, neque iurium,  
quorum tutelam respublica, se suscepturnam esse, ipsi spopon-  
derit, aliquod violatur.

### §. VIII.

His ita constitutis, fines, quatenus propria defensione vt  
in respublica etiam ciues prohiberi non debeant, regulis hisce  
fere, vt dicta breuius repetamus, contineri videntur:

- I. Nullus propriae defensioni modus definiri debet, quoties  
iura aguntur, e quorum natura perspicitur, reparari ea-  
dem plane nequere.
- II. In iuribus caeteris defendendis vetari nequimus factis  
eiusmodi, quibus conditio humana durior non redditur,  
aggressorem ab ea actione, per quam nos laefurus est,  
arcere.

Minime vero haec, quae diximus, perinde intelligi vo-  
lumus, ac si hisce casibus exceptis quilibet se defendendi modus  
in quacunque respublica prohiberi debeat. Sed praeter ea,  
quae dictis regulis continentur, alia etiam, immo omnia, quibus  
singuli semet tueri possint, ciuibus vel expresse permitti, vel  
omissa aliqua prohibitione iis relinqui possunt. Nam summae  
potestatis est, quae ad ciuum iura protegenda fieri debeant,

perpendere atque diligere. Quoties ea legibus suis singulorum securitati non satis prospectum atque consultum esse iudicauerit, propria defensione vti, iis permittere et poterit et debebit.

### §. IX.

In iuribus, quorum periculum declinandum erit, dinumerandis non, vti philosophi solent, nos diuisuros esse, palam profitemur. Tum enim ratione, quae ad finem nostrum solum pertineat, egemus, tum I<sup>C</sup>torum diuersas de hac re sententias offendere nolumus. Cum fint ex nostra quidem opinione iura nonnulla, quae ab hominibus acquisita proprie defendi nequeant, vt scilicet periculum tantum ab iis auerti, seu fieri aliquid possit, quo ius nondum amissum vel potius eiusdem possessio vel quasi retineatur; hoc loco ad ea tantum respicimus, quae vere tueri posse nobis videntur. Interque ea numeramus.

I. Vitam ipsam, quaeque proxime ex ea sequuntur: ius corporis integritatem pudicitiamque y) conferandi et libertas in strictiori vocis significatu.

II. Iura dominii.

III. Existimationem bonamque famam.

Iura

y) Pudicitiae laesionem ad honorem refert I. F. S. BOEHMER in med. ad C. C. C. art. 140. §. 2. neque honoris etiam laesionem hic adesse negamus. Ad corporis violationem refert eam GROTIUS I. B. ac P. L. II. c. 1. §. 7. 9.

Iura obligationis contra obligatum vere defendi nequere videntur. Nam vel iura eiusmodi eorumue quasi possessionem, quocunque ille contra fecerit 2), amitti posse negamus, vel, si maius, contendimus, ius nobis eo momento, quo, quod debetur, praestandum sit, nasci, a) eodemque lapsō, cum antea obligatum omittendo nos laesurum esse nescimus, interueniente nouatione, amitti et recens, exigendi scilicet, ut damnum anteriorato nobis refaciatur, oriri, quod ipsum momento quolibet sequente eodemque praeterlapsō in aliud, vi cuius plus etiam nobis competit, ipso iure nouari futurum est.

Sed quaestio reftare videtur, num iura ad rem, nec non ea, quae in iure personarum tractantur, b) contra alios quoque, quam qui nobis vel obligati, vel per statum aliquem nobiscum coniuncti sunt, defendi hoc forte modo nequeant, ut laesiones ab iis auertamus, quae vel necessitate aliqua nobiscum coniunctum nobis eripere, vel obligato, quo minus obligationem nobis impleat, impedimento futurae sunt? Attamen nouimus Lectorem in ea morari, tum quia ex dictis etiam, quid de hac re sentimus, facile appareat, tum quod minus eadem nostra

- 2) Bona fia dissipando obligatus tantum impedit, ne effectum ius nostrum obtinere possit.
- a) Et hocce contendere licet, si hic quoque in legatis dies cedens a die veniente distinguitur.
- b) Veniam petimus ab iis, quibus bis idem dixisse videamur,

nostra refert, cum ius alium quemcunque defendendi nobis competere supra probare conati sumus; imperans vero in statu ciuili, quoties ciuibus se viribus suis tueri permittere debeat, neque offendos, ne alias ad defendendum inuocent, neque inuocatos, ne auxilium praestando humanitati pareant, prohibendi ius habeat. Quamobrem e periclitantis persona semper diiudicandum erit, num ad occidendum vsque procedere nobis cum propugnantiibus liceat.

### §. X.

Vitae igitur instans periculum per caedem etiam aggressoris depellere vbique ut liceat, necessarium esse, res expedita est. De corpore vero laedendo regulam aliquam generalem proponere dubitamus c) cum saepissime laesiones vel per solum temporis lapsum naturamque ipsam refarciantur, vel medicamentorum usu sanari, laesique in pristinum statum plene restitui queant. Quare summam in republica potestatem vel omnia ad corpus tuendum permittere, vel laesiones a se inuicem distinguere ad easque prohibitionem referre oportebit. In singulis casibus non poterit non iudici saepius diiudicatum relinqu, num homicida

c) Refert CARPZ, pract. crim. P. I. qu. 29. n. 7. ex Hercul. de caut. de non offend. c. 24. quod tum demum sentire offendionem corpus dicatur, quando e percussione patitur dolorem, liuorem, tumorem, aut sanguinis effusionem.

nicida ad moderamen inculpatae tutelae prouocans laesio[n]em,  
quae penitus restaurari nequeret, fibi imminere vere iusteque  
crediderit. Tum stuprum violentum passus, nunquam futurus  
esse videtur, qui prorsus restitui possit. Licet enim laesi virtu-  
tem, non dicam labefactatam, sed sceleri periclitatam d)  
omittimus, cum hocce ad interna spectans hoc loco, quo de-  
jure loquimur, alienum videri possit, semper tamen corporis  
quoque, ita vt restaurari nequeat violandi, vitaeque ipsius pe-  
riculum, saepius etiam conditionis externae damnum tale,  
quod resarciri nequit, cum stupro vi alicui oblato coniunctum  
esse credimus. Denique ne impetum in libertatem, i. e. homi-  
nis conditionem, secundum quam ille non subest sub alterius  
potestate priuata, occidendo, si alio modo nequiuerit, arcea-  
mus, nullibi nos prohiberi posse, indubitatum videtur, idque  
eo etiam magis, quod vna cum libertate remediis amissae ei  
summa potestate comparatis utendi facultas eripitur.

### §. XI.

Quodsi quis nullam vitae simul corporisue periculum mi-  
nans bona tantum nostra aggressus fit, posse a summe imperante  
nos

¶ Cf. IOACH. HOPPIX comment. succinct. ad Inst. de l. Aquilia §.  
2. p. 774. GROT. c. l. §. 7. not. Tesmari ad verb. Pudicitiam  
vitae.

nos prohiberi, ne eum occidamus, videmur. Nullam enim iurium, quae in rebus competunt, natura continet rationem, futurum esse, ut bona nobis restitui nequeant. e) Adest igitur casus, quo nostro iure petere tantum possumus, ne eo defensionis usu interdicamur, quo aggressorem bonorum nostrorum possessionem acquirere duntaxat impeditus. Quare ab eo, qui tempublicam regit, vetari quidem possumus, furem, qui mortem non minitatur, occidere, f) minime vero, eum alio modo quam laedendo depellere, eumue cum bonis nostris a fugientem, ut haec ei rursus eripiamus, persequi; licet persequentes capit is discrimen adituri, vitaque dein periclitantes caedere illam et bonis et vitae iamiam pericula comparantem necesse habituri simus.

## §. XII.

- e) I. F. LUDOVICI doctrina Pandectar. ad l. Cornel. de sifar. §. 7. HOPPII comment. l. c. p. 773. Non tamen dubitamus, quin, bona etiam quaecunque ut restitui nequeant, accidere possit. Quare dissentimus a BOEHMERO in medit. ad C. C. C. art. 140. §. 2. qui res immobiles nunquam ita auferri censet, quin commode recuperari possint.
- f) Rationes pro bonis homicidio defendendis a BOEHMERO l. cit. adductae in statu hominum obso luto locum obtinere, minime vero ad statum ciuilem quadrare videntur. Similes adducit, nec respiciendum esse, an via juris res recuperari possint, vel non possint, existimat OBRECHT Diff. de def. necess. c. 8. n. 8—10. Quod equidem nego, et praeterea, hominem, fore, ut res restitui sibi nequeant, nunquam scire contendeo.

## §. XII.

Restat, ut de existimatione ab iis, quae eam offendant, defendenda loquamur. In iuriā certe illatam ne vīsciscamur, in statu ciuili iure nos prohiberi, ne memoratu quidem dignum videtur. In propulsandis iuriis multa ex temporum locorumque geniis pendent, num ridiculae illae videantur, an pro veris iuriū laesionibus adeo etiam habeantur, ut amissus per ea dignitatis illaeſae status, quocunque imperans contra fecerit, reparari nequeat. Quo tamen ipso ex hominum arbitrio pendente, eorumque in arbitrando diffensionibus, arguitur, e laesionis per iniuriā factae natura minime apparere, refarciri eandem non posse. Regulæ igitur generalis instar nobis tenendum esse credimus, defensione per caedem iniuriantis ciues licite interdici. Quodsi quis iniuriā mortemque aliamque similem laesionem ita minatus sit, ut aut iniuriā aut necem pati eligere nos iubaret, eandem pati, ut vitae periculum effugiamus, ab imperante iuberi nequimus g). Sed permitti debet in ciuitate quacunque facinus ignominiosum, quod forte facere aliquis mortem auersantibus minans nosmet iussit, nihilo minus recusare, cum mini-

D

me

g) Cf. Avg. & Leys, medit. ad Pand. spec. 600, in. 22. qui ex humanitate rationem obligationis petit, qua periclitans, quando absque omni vel magno saltem dedecore hocce fieri potest, fungere tenetur.

me in hunc finem summa potestas a ciuibus constituta sit, ut alium alteri seruire obstringeret. Iam vero si eorum, quorum electio nobis data erat, altero reiecto, in vitae discrimen adducti simus, caedem quoque ad propugnandum ubique licere oportet.

### §. XIII.

Haec habui in primis notanda, quae ex iuris naturae rationibus de quaestione proposita dicereim. Progredimur ad inquendum, num leges quoque ciuiles haec, quae debeant, ciibus permittant, an ultra hos fines etiam iuris sepe tuendi usum concedant. Ac primo quidem ad leges Romanas nos conuertimus. Iam imperii Romani conditio ea fuit, quae singulorum potestati parum faueret. Nam república monum oppressa nimium singulis indulgeri non debuit, ne ciues iis, quae ad se defendendum contra priuatorum violentias sibi comparassent, ad semet insolentius forte efferendum et contra rem publicam uterentur. Caesares a potestate priuatis relictā nunquam non timere opportuit, ne eadem ratione, qua vel ipſi vel plures antecessorum regimen sibi conciliassent, ipsis illud eriperetur. Laeso etiam per iudicia h) ipſi concessa remedia eo modo prospēctum erat,

vt

- h) Qua refero actiones poenales. §. 23. sqq. I. de actionibus. Tit. I. de oblig., quae ex del. Vi bonor. raptor. D. de furtis, z. 7. 1. tum edictum D. MARCI l. 12. in f. l. 13. Quod met. cauſa l. 7. C. Vnde vi.

ut homines neq;iores, solum scilicet a principe sicutia caeteris metuendi, laedi interdum quam protegi mallerent. Quare facile opinamur, vim quacunque, ne in defensione priuata adhiberetur, prohibitam, quoad quidem id fieri possit, in hisce legibus nos inuentaros esse. Leges ipsae nos prae sumptionem non fefellerint, docebunt. Sed prius perscrutandum est, num ea permitta sint, quae in qualibet ciuitate permittenda esse nobis videntur.

### §. XIII.

Agnouerunt Romani regulam generalem: *vim vi repellere licere*; i) eamque tum in iure gentium, k) tum quodammodo l) in iure, quod naturale appellabant, fundatam professi atque securi sunt, ita ut Ponponius interrogatus, num ei quoque, qui vim, quam antea fecerat, a laeso rursus passus erat, succurrere vellet praetor per edictum, quod de vi propositum erat, ob dictam regulam hocce negaret m). Maximum igitur, in quod adduci

D 2

pol-

i) 1. 1. §. 27. 1. 3. §. 9. de vi et vi arm.

k) 1. 1. §. 4. l. 2. 3. de I. et I. L 45. §. 4. ad l. Aquil.

l) 1. 1. §. II. Si quadr. paup. fec. dic. l. 1. §. 27. de vi et vi arm.  
Cf. l. 1. §. 3. de I. et I. Diffidere in hac re iureconsultos v.  
OBRECHT de def. nec. c. 3. n. 7. sqq.

m) 1. 12. §. 1. quod vi met. caus. Cf. l. 3. §. 9. eod. l. 17. de vi et vi arm. Hac ratione l. cit. 12. interpretatur FABER in rational, ad ff. Minus recte hanc legem ad damnum, in quo Iaesus versatur, trahere videtur BRVNNEM. in Comment. ad. ff.

possimus, periculum, extremumque discrimen quomodo cur-  
que depellere, seu vitam occidendo aggressore defendere licere,  
iam secundum hanc legem nemo dubitabit. Praeterea autem ex-  
presse in hoc iure permisum inuenitur occidere et Iatrones  
insidiantes n), et nocturnos populatores ad agros intrantes ne-  
cemque minantes o), atque aggressores, immo etiam alium quem-  
cunque p), quoties in dubio vitae discriminē quis constitutus sit.

### §. XV.

Cum ad corporis etiam integritatem protegendam aggref-  
forem iuste occidi affirmamus, q) aduersarios habere videmur  
eos, qui eum in defensione modum praeceperunt, vt inermis  
cum inermi, et armatus cum armato non dispari sed pari telo-  
rum genere congrederetur, r) quiue defensionem, cui cau-

fam

n) I. 4. pr. ad I. Aquil. I. 4. C. ad I. Cornel. de sic.

o) I. I. C. quand. lic. vunic.

p) I. 2. C. ad I. Cornel. de sicar.

q) Cf. VLR. HVBER praelect, ad Pand. ad I. Cornel. de sic. §. 9. p.  
543. b.

r) Quos refert ex glossa in I. I. in verb. moderamine C. Vnde vi, et  
refutat OBRECHT de def. nec. c. 10. n. 3. 6. 7. 8. V. etiam  
STRYKII V. M. ff. ad I. Aquil. §. 12. et annotat. ad W. A. LAV-  
TERBACHII compend. D. p. 698.

sam offendit dedisset, eidem similem esse voluerunt s). Et stricte quidem hanc regulam interpretandam esse iam dudum a ICtis refutatum est, quamvis verba retinere, iisque res magis, quam rebus verba applicare diutius placeret t). Sed dubitari forte possit, an interficere aggressum in eo casu, vbi nullum vitae, sed membrorum tantum corporisque periculum adest, nobis liceat v). In iure naturali de hac re dubitari non posse inde apparet, quod eo tantum ius defendendi nobis competere, minime vero, qua ratione nos tueri debeamus, homines doceri iam supra ostendimus. Nec non tamen de iure Rom. dubitationem hancce tollere res facillima nobis videtur. Nam quod e regula, quam antea memorauimus, *vim vi repellere licere*, Caecilius tantum arma armis repellendi licentiam collegerit x), non perinde intelligendum esse credimus, ac si d. regulam explicare magisque determinare ille voluisse. Sed e generaliori specialius, id quod ad finem propositum sibi sufficeret, argumentatus est, et verba verbis quoque congruere curauit, ne vel alios iuris stricti rigori fauentes offenderet. Ve-

r. 1111

s) CARPZ. pract. crim. qu. 30. n. 2. 3.

t) I. cit. qu. 28. n. 24. sqq.

v) Cf. I. c. qu. 30. pr.

x) I. I. §. 27. de vi et vi arm.

rum tamen mittamus auctoritatem legis, quae in dubium fortasse quodammodo vocari possit. Immo concedimus, membrorum periculum occidendo propellere expresse permisum in LL. Rom. nullibi reperiri, atque ad solum illud, quod classicum hac de re nobis videtur; Florentini dictum y) prouocatum, secundum quod, nulla ad vitae discrimen facta restrictione, iure hoc euenit, ut, quod quisque ob tutelam *corporis* sui fecerit, iure fecisse existimetur.

Nec tamen magis ex altera parte ad credendum propensi sumus, concedendam esse ad quamcunque corporis laesio nem declinandam offendorem occidendi licentiam, Florentinumque sine omni restrictione intelligendum. At quo iure restringere verba eius licebit? Tantum scilicet absuit, ut lege pro sententia nostra careremus, ut potius de ea coangustianda iamiam sollicitos esse nos opporteat. Nam seruatur a ICtis regula eademque legum praeceptis bene fundata, legem poena lem non esse extendendam z); nec fugere quemquam potest, hocce Florentini restringere, esse leges contrarias poenales in duriorem partem interpretari. Attamen neque defunt, qui

aucto-

y) I. 3. de I. et I. vbi verbum iniuriam non ad iniuriam verbalem sed ad realem potius referendum esse probauit OBRECHT I. cit. c. 2. n. 8.

z) c. 15. 49. de reg. iur. in 6. I. 155. §, fin. de R. I. I. II. pr. I. 42. de poen.

auctoritatem regulae denegent a). Quare, vt summis beati, hic quoque medium tenere nobis liceat, eamque seruare, quoties agitur de poena in delictum quoddam statuenda vel de exasperatione determinanda; sed recedere ab ea in legibus interpetrandis, quae ad poenas quidem aequae respiciunt, proxime vero normam, vel delinquentes conuincendi, vel connectis poenas perpendendi iudici praecipiunt. Nam priori easu nos dubitari semper oportet, num teneamus omnes rationes, quibus singularibus saepius ac polyticis lex illa nititur; posteriori, qui hic adest, legis rationes vniuersales nunquam esse nequeunt, quae vel ex re ipsa vel faltem ex legum analogia cognoscuntur. Sic etiam d. legis strictae interpretationi fines constitunt tum ius naturale, tum quae De L L. Rom. nobis videri diximus, ita vt interficere impugnantem tum demum concedamus, cum malum, quod reparari nequeat, auertendum sit. Idemque vero Gordiani imp. constitutione b) contineri existimamus, qua eum, qui percussorem gladio repulerit, vt homicidam teneri negat, quia defensor propriae salutis in nullo peccasse videatur. Nam salutis vocem tum de vita sola intelligere nolumus, ne res iudicantes durius quid,

a) LEYSER, med. ad ff. sp. 568. m, 10. BOEHM. med. ad C. C. C. art. 105. §. I, in fin.

b) I. 3. C. ad I. CORNEL. de siccari.

quid, quam cauſſa deponſit, conſtituamus c), tum de leui  
quocunque ac praetereunte corporis incommodo accipere  
nequimus d).

Memoratu fere indignum videtur, nos quamvis ad cor-  
poris integritatem defendendam occidere interdum permitti-  
mus, minime tamen contendere, moderaminis inculpatae  
tutelae excessum in ipsis hisce caſibus, vbi interfectionem con-  
cedimns, nunquam committi posse. Sed ſemper illud exce-  
dit, qui corpus vitanue caede defendit, cum lenius ſaluti ſuaſ  
remedium adeffe ſcire eum oppoſteat. Neque excessum  
hunc cauſſae, vt dicunt, quam modi appellare malumus e).

Num

c) I. II. pr. de poenis.

d) Cf. I. M. GESNERI nou. lingu. Lat. theſ. voc. *Salus*.

e) De requisitis moderaminis inculpatae tutelae ad cauſiam, mo-  
dum et tempus reducendis v. CARPZ. pr. cr. qu. 28. n. 20. ſqq.  
In cauſiae tamen et modi definitione scriptores non plane con-  
ſentire videmus. Cf. I. cit. VLR. HVBER prael. ad ff. ad I. Cor-  
nel. de ſicar. §. 9. 10. OBRECHT Diſl. de def. nec. c. 10. n. 3. 5.  
Ac modi quidem excessum in hypothefi aggressoris interfectionem,  
cum in periculo conſtitutus etiam absque caede iſtud auer-  
tere potuifet, ſ. ad periculum praesens disproportionatam  
cum HVBERO I. c. §. 10. in pr. et CARPZOVI O I. c. qu. 30. n.  
18. appellari, et ſic, quae diximus in §., intelligi velimus. In  
thesi ratione modi excesſus interfectio ad ius periclitans non  
proportionata vocari poſſit, (Cf. diſtinctionem inter excessum de-  
fenſionis

Num autem in periculum quoddam adductus saluti ab aggressore timere possit, legibus definiri posse plane negamus, sed soli iudicis arbitrio illud relinquendum esse censemus, qui in singulis casibus personarum rerumque conditionum respectum habere semper debet; cum vel alapa vel pugnae baculiue ictibus aliqui infligendis plagae insanabilis inde accipienda metus interdum iniici possit; quamuis dubium nemini esse credimus, plerumque illud periculum non adeo valiturnum esse, ut sanus corpore atque mente ad occidendum minantem pauorem proripiatur.

### §. XVI.

Eum deinde, qui stuprum sibi vel suis per vim inferentem occiderit, dimitendum esse, expresse constitutum in iure Rom. inuenimus f). Quod si quis ad ius semet vindicandi laeso ob delicti foeditatem speciatim concessum referre voluerit; magis adhuc eum permettere oportebit, ut periclitans ma-

E

lum,

fensionis et inculpatae defensionis ap. CARPZ. l. c. (pr.) quo sensu assumto in casu in §. proposito excessus non ratione modi sed causiae tantum adeste nobis videtur. Causiam excedisse dicitur, qui non merae defensionis gratia aggressorem occidet, siue ille rixae ansam dederit siue modum (in hypothesi) per iram excesserit Cf. OBR. l. c. n. 5.

f) l. r. §. pen. ad l. Cornel. de siccari. HVBER l. c. §. 9. p. 543 b.

Inim, quod vlsicisci etiam ipsi licet, aggressoris caede auertat. Attamen in alios casus legem hanc dilatare, atque ne pudicitia attentetur g), occidendi licentiam concedere ob diuersitatem casus quam maximam nolumus.

### §. XVII.

Tum libertatem vel interficiendo plagiariū licite defendi dubium esse nequit. Nemo enim ad salutem eam pertinere, ideoque eiusdem defensionem Gord. constitutione supra (§. XV.) allegata contineri negabit. Quod optime etiam conuenit ad mores Romanorum, qui libertatem quam maximi aestimarunt, immo cum vita ipsa in iure aequarunt, cum non solum crimen, quo liber homo a sc̄ientibus venditus emtusque erat, capite punirent h), sed etiam capitis diminutionem maximam mortis instar haberent i), et patronum libertate parentis loco esse existimarent k).

### §. XVIII.

g) Cf. I. 10. 15. §. 22. de iniur.

h) I. 1. D. l. 7. C. ad I. Fab. de plag.

i) §. 2. I. de publ. iudic. Cf. Hvber prael. ad Inst. de cap. diminut.  
§. 1. 2. 3.

k) Arg. I. 9. de obs. par. et patr. prael.

## §. XVIII.

Venientum nobis nunc est ad pecuniarum defensionem, de qua in alia omnia ICTOS discessos videamus I) quamvis leges, quae in iure ciuili de hac re inueniuntur, certas et definitas esse credimus. Distinguere tamen ante omnia nos oportet, num bona duntaxat sint protegenda, an vita etiam in periculum adducta sit, ideoque cum bonis haec simul defendatur m). Bona tantum defendit, qui furem cum re ablata aufugientem telo sternit, ut rem e conspectu nondum elata eo interento recipiat. Vna cum bonis vitam corpusue tueretur non solum is, qui aduersarium ad furandum se praeparantem dehortatus eundem in eo, quod cooperit, pertinacem et capit is iamiam periculum ipsi ostentantem; sed etiam, qui furem, quem persequitur, sibi resistentem, ut bona vitamque

E 2

ser-

I) Fuisse etiam, qui clericis concessum dicerent, ut res suas cum caede alterius defendere possent, refert OBR. Diss. de def. nec. c. 8. n. 21. Furis rustici ab urbano in hanc finem distinctionem ex Harmenopul. lib. 6. c. 1. refert id. l. c. n. 32. Sunt etiam, qui ob res viles atque exiguae internacionem non permittunt, cum ob modicam summam, qualis est usque ad duos aureos, actio doli sec. l. 9. in f. l. 10. de dol. mal. non indulgenda, vietaque multo magis quam famae parcendum sit l. 38. §. 9. ad l. Iul. de addult. v. CARPZ. pr. cr. qu. 32. n. 26.

m) Eadem distinctione vtitur Grot. de I. B. ac P. L. II. c. 1. §. 12. Exempla v. ap. OBR. l. c. c. 8. n. 12. 17. 26.

feruet, obtruncat. In casu posteriori utroque bona quoque occidendo, licet non proxime, defendi inde apparent, quod ea derelinquendo vitae periculum subterfugere semper licebit, nisi si aggredienti latrocinium propositum fuerit, indeque ortum vitae periculum maius bonorum illud minus asorbuerit. Per magni igitur nostra intererit, num bonorem conseruationem moliri tum quoque liceat, cum absque vitae periculo, quod forte in occidendi alium necessitatem nos allaturum est, id fieri nequit. Et nobis quidem homicidium, quod rerum tantum propugnandarum caussa committitur, illicitum, bona vel retinere, vel cum illis fugientem persequi licitum esse ex rationibus, quae insequuntur, videtur.

Diocletianus imp. recte possidenti ad defendendam confessionem illatam vim propulsare permittens, expresse addit: ut fieri illud debeat inculpatae tutelae moderatione n). Quam obrem licet de vi rebus tantum non personae illata hocce intelligi possit, occisionis tamen ad meram rerum tutelam permissae argumentum duci ex eo nequit, cum inculpatae tutelae moderatione uti imperator quidem nos iubeat, moderationem

n) in I. I. C. Vnde vi, e qua pro sola etiam rerum conseruatione furem impune interfici colligit Avg. LEYSER spec. 600. m. 25. Sed consentit nobiscum in Ieg. cit. interpretenda Ioh. BRUNNEMANN. Comment. ad Cod. Tractat. iurid. de inquisit. processu c. 9, n. 57.

nem vero ipsam determinare omittat, ideoque ex aliis L. L. suppleri eam opporteat. Etiam si ergo largiti simus, posse hanc legem ita coangustari, ac si ea solum prohibeat, ne in vltionem defensio degeneret, obstabit tamen dictae sententiae lex XII. Tabb. introductory, quae furem tantum nocturnum occidere permittit o). Et patet quidem, ita ut de eo dicere supercedere possimus, furis cuiuscunque interfectionem minime ab ea permitti p). Tum quoque ad ius vindictae a fure sumenda priuatis concessum eandem non pertinere q), nobis persuadebitur, simulac contulerimus eam cum alia XII. Tabb. lege, quae huc pertinere videtur, furemque interdiu deprehensum

o) I. 4. §. 1. ad l. Aquil. Refert. hanc XII. Tabb. legem IAC. GODFRED. in Tab. II.

SI NOX FVRTVM FAXIT SIM ALIQVIS OCISIT  
IVRE CAESVS ESTO.

et de fure diurno

Si luci furtum faxit, SIM aliquis endo ipso capsit, verbator, iLique, cui furtum factum escit, aDicitor.

SI SE TELO defensint, quiritato ENDOQVE PLORATO: post deinde si coesi escint, se fraude esto.

p) Quam e lege Mosaica Exod. XXII, 2. colligit CARPZ. I. c. qu. 28, n. 5.

q) De quo hanc legem intelligit ENGAV elem. iur. crim. L, 1. §. 334, ed. 5.

hensum occidere permittit, si iste se telo defendat r). Quam itidem de vindicta disponere nemo contendet, nec quisquam contendere potest, cum non eum, qui se *defenderit*, sed qui se telo *defendat*, iniuria occidi lex neget. Distinguendi vero furem nocturnam a diurno haec ratio nobis maxime placet s). Voluerunt legislatores furem tantum eum, qui non solum bonis sed corpori etiam vitaeque minatur, tutelae gratia interfici permettere. Quod cum nox atque tenebrae discernere prohibeant, atque offensi, quid sibi periculi impenderet, dubitan-

r) Cf. CAIVM ad edict. prouinc. l. 13. in l. 54. §. 2. ff. de furt. et ad edict. perpet. l. 7. in l. 4. §. 1. ff. ad l. Aquil. IAC. GODOFREB. probationes ad XII. Tabb. II.

s) GROT. de I. B. ac P. L. II. c. 1. §. 12. Qui et hanc et aliam praeterea de legis ratione assert sententiam, quod scilicet noctu et fure ignoto res minus viuantur posse recuperari. Ipse neutri ad stipulatur, sed probationis, num fur nocturnus telo se defenderit, difficultatem legis rationem esse censet. Nos duces sequimur I. F. LVDOVICI in doctrina ff. de furtis §. 6. STRYKIVM in V. M. ff. ad l. Cornel. de sic. §. 18. CARPZ. pr. cr. qu. 32. n. 20, qui tamen mox n. 34. bonorum furto subtrahendorum conseruationem distinctionis factae rationem esse manuit. Sed toto loco perspecto mox apparebit, causam, cur hoc modo interpretatus est, furisque internectionem permisit, eam esse, quod bonorum defensionem ab eorum derelictione, ne ad homicidium necessitate abducamus, accurate distinguere omiserit. Cf. n. 22. 31. Ad ius contra furem nocturnum speciatim concessum hanc leg. refert VORT. ad ff. ad l. Cornel. de sic. §. 10.

bitantis metum augerent, furis nocturni interimendi licentiam simpliciter concessere, distinxerunt tantum ratione furis diurni. Cui etiam sententiae nostrae prope accedere, et cum applicatione legis in aeuo posteriori visitata conuenire videtur sententia illa, iudicem ob probationis difficultatem hac lege tantum praesumere iuberi, furem nocturnum vitae periculum ostensasse, ideoque iuste interermtum esse. Ipsos quoque legislatores de hac probatione autumant cogitasse, cum offenso, ut se occisurum esse cum clamore testificaretur, praeciperent t). Quod autem, cum aliae adsum rationes, quibus facilius certo ad id praecipiendum adduci potuerunt, non adeo valitum censemus, ut prioribus iamiam temporibus legem hoc modo acceptam esse contendere possimus. Postea vero Vlpianus, ille miscellio, cuius scripta inde a Theodosii et Valentiniani impp. temporibus legum etiam auctoritate gaudebant v), praefunctionem tantum pro imperfectore hac lege constitutum esse existimauit, ideoque furem nocturnum si quis occidisset, ita demum impune laturum esse, si parcere ei sine periculo suo

non

t) Non solum, ut vicini in testimonium vocarentur, sed ut ipse quoque fur deterreretur et ad fugam conuerteretur hocce iussum esse, nec male, vti videtur, censet S. STRVK, in V. M. ad I. Aquil. §. 18.

v) I. vn. C. Th. de resp. prud. Sublata haec auctoritas est in I. I. C. de vet. iur. encl. Quo tamen huic Vlpiani sententiae, quippe quae Pandectarum volumini inserta erat, minime derogabatur.

non potuisset, pronunciauit x). Quibus rationibus sententiam nostram satis probatam esse opinamur, quaeque eidem obstat leges videri possint, ne reprobatione quidem egere, vel certe facillime refutari posse credimus, cum omnes eae ad rem nostram minime quadrare appareant. Armis enim ad possessionem venientem armis repellere nulla quidem adiecta conditione nobis permittitur y), sed quid est, quod armis venientem quomodo cunque repelli lex tantum permittat? Theodosius et Valentinianus imp. resistendi cunctis tribuunt facultatem, vt quicunque ad agros nocturnus populator intrauerit, aut itinera frequentata insidiis aggressionis obfederit, permissa cuicunque licentia digno illico supplicio subiugetur z). Sed ipsi quoque de vitae discrimine se dicere profitentur: nam tribuunt priuatis licentiam istam, vt mortem aggressor, quam minabatur, excipiat, et id, quod intendebat, incurrat.

Ex eadem lege apparet id quoque, quod secundo loco contendimus, nos legibus Rom. bona nostra derelinquere,

ne

x) I. 9. ad I. Corn. de ffc., qnam, vt sibi quadret, de periculo vel personae vel rerum, quippe quae sint *vita hominis et sanguis*, intelligendam esse ait CARPZ. I. c. qu. 32. n. 35.

y) I. 3. §. 9. de vi et vi arm.

z) I. 1. C. quand. lic. vnic. fin. iud. Cf. E. F. KLEIN Grundf. des gem. Deutschen peinl. Rechts §. 280. Anmerk.

ne forte in necessitatem vitam per occisionem tuendi adduceremur minime teneri, sed resistere semper licere. Tum etiam ius furem persequendi, ut res ablatas ei eripiamus, nobis competere docemur lege XII. Tabb. de fure diurno, quae furem sepe contra nos defendantem, ideoque a nobis prius petitum impune occidi affirmat. Receptum quoque a Iustiniano in L. collectionem inuenimus responsum quoddam Alfeni, quo optime illud probatur a). Tabernario scilicet praeteriens quidam lucernam fustulerat. Ille eum confecutus rem suam reposcebat, et fugientem retinebat. Dein a fure, ut eum mitteret, vapulatus maiori rixa orta oculum ei effodit. Negat Alfenus tabernarium damnum iniuria fecisse, rixaeue animam dedisse, neque respicit ad id, quod alterum ille retinuerisset.

Quae cum ita sint, eum, qui furem simplicem rei tuedae causa occiderit, moderaminis inculpatae tutelae excessum ratione modi semper commisso in thesi contendimus. In singulis casibus iudicem, cui multa in omni iure, plura tamen

F

in

a) I. 52. §. I. ad l. Aquil., quae tamen ad solam rerum possessionem defendendam hominem interimendi aut vulnerandi licentiam minime concedit, pro qua allegata inuenitur in responso IC. Vitemberg. extante ap. I. B. WERNHERVM Sel. obs. for. P. VII. obs. 104. p. 213.

in caussa criminali relinquere necesse est, ex personarum, temporum locorumque conditionibus de eo arbitrari oportebit.

### §. XIX.

Vltimo loco, quae de iniuriis auertendis sec. ius Rom. nobis videantur, explicanda sunt b). Et ad eas quidem laesiones quod attinet, in quibus licet iniuriae reales eae appellantur, ob mali corpori dati magnitudinem, corporis etiam violatio animaduertitur c); Lectores remittimus ad ea, quae de corpore tuendo supra (§. XV.) proposuimus. Quoties de existimationis tantum laesione agitur, siue iniuria sit realis siue verbalis, perinde atque in bonis defendendis casus iam supra distinctos hosce a se inuicem secernere placet: num scilicet iniuria sola imineat, an vitae simul periculum adsit, quod utique eam patiendo sicut bona derelinquendo effugere possumus. In casum posteriorem leges §. praec. allegatas haud male dilatari, ideoque iniuriae quoque per consequentiam morte impune propulsari videntur d). Solam iniuriam instantem caede pro-  
pul-

b) De hac re differit caedem ob iniuriam licere aequem negans OBRECHT l. c. c. 9.

c) Cf. l. 7. in f. 8, de iniur.

d) Consentire nobis videtur IOH. BRVNNEMANN. in tract. de iniur. proc. c. 9. n. 62. verb. Nisi viam. De duellis ibid. omni-  
cum

pulsare non magis quam bona occidendo defendere Romanis certe licuit e), cum legem desiderarunt, quae licentiam istam iis concederet. Neque aliter de hac re propterea existimandum esse videtur, quod fama et vita in iure quoque aequiparentur f). Nemo enim dubitabit, de ea tantum fama hocce accipiendum esse, quae vel per legem poenalem adimitur, vel actionibus et moribus malis diminuitur, nunquam autem per maleficentis iniuriem famam veram laedi posse g).

## F 2

vero

cum seueritate tractatis hoc loco differere alienum putauimus. E dictis enim simul, quae de hac re opinemur, appareat. Videlicet prouocantem nunquam, prouocatum tum demum, cum verum vitae periculum, et quamdiu illud adeat, in vitae defensio-  
nis statu existere. Cf. I. B. WERNHERI sel. obs. for. P. I. obs. 83. MEV. P. VIII. Dec. 54. n. 1. BESOLDI thes. pract. addit. ad voc. *Ausforderung*. Teneri aliquem, ne prouocetur, vel cum damno suo fugere vel iniuriam, si per ipsum steterit, subire negamus.

e) HUBER prael. ad ff. ad l. Cornel. de sic. §. 9. p. 543. b. 544. a. Varias hac de re I Ctorum sententias refert I. S. F. BOEHMER in elem. iurisprud. crim. S. II. §. 208. ed. 6.

f) Cf. l. 9. §. 1. de manum, vind. OBR, de def. nec. c. 9. n. 5. 6. MEV. conf. posth. c. 93. n. 120. sqq., qui nihil tamen minus eum, qui ob iniurias verbis illatas honoris defendendi causa offendentem occiderit, ordinaria tantum homicidii poena plecti negat, et impunitatis *aliquid* ei indulget.

g) Idem probat GROT, de I. B. ac P. L. II. c. 1. §. 9. I. HOPPE in comment. succinct. ad Inst. §. 2. ad l. Aquil. p. 774.

vero Gordiani constitutionem, qua salutem caede defendere ille permittit, secundum mores Germanorum ad eos saltem, qui praefecturam militarem gerunt, atque iniuriam passi perpetua faepius ignominia laborare creduntur, applicari oportet? Res fane ad decidendum difficilis esse, neque alio modo quam distinguendo expediri posse videtur. Et quantum equidem perspicio, iniuriam propulsando *salutem* defendi iis in terris dicendum est, vbi iniuria affectus a lege ipsa contemnitur, quae forte in praefectura militari constitutum propterea dimitti iubet. Quo casu dict. legem utique applicare, iussuque, ne iniuria, quam malum eiusmodi fecuturum est, occidendo, licet aliter fieri nequeat, propulsetur, iniustum dicere velim h). Contra homines illi militares aduersarium, ut ab iniuria eum coercent, impune interficere nequeunt, quibus in locis *leges* iniuriam passo insensae non obtinentur i). Neque

mul-

h) Offensus quoad hunc casum in statu naturali constitutus dici possit, nisi munus sub conditione resolutiva ei delatum contendere malis, quo tamen rem plane expeditum iri dubito.

i) De omnibus personis egregiis, qui vel natalium splendore coruscant, vel militarem praefecturam gerunt, hocce affirmat BOEHMER in medit. ad C. C. C. Art. 140. §. 2. Quod attinet ad prerogativam, quicquid ad status integratatem pertineat, viatore gladio suo persequendi, qua gaudere eos credi affirmat;

super-

multum contemtui, in quem Iaefus adduci futurus est, hoc loco tribui potest. Proborum enim et bonae frugi hominum quis eum, qui iniuriam, quam deuitare nequeret, pati, quam hominem occidere maluerit, despiciatui ducet? Nobilium vero quisnam malorum quam bonorum de se opinioni consulere malet, aut existimationem apud eos quam apud hosce illaefam maiorem salutem esse se credere affirmabit? At si affirmauerit, ut iudici fese excusaret homicida; neque hunc impunitum dimittere licebit, cum prava etiam hominum ratio cum ciuium damno fese exerens sit compescenda k). Iudici vero haec quoque vulgi opinio poenam modo plus modo minus mitigandi cauissam dare et poterit et debet; sed omni poena homicidam liberare eadem nunquam sufficiet. Attamen durior sententia nostra tum forte videtur, cum suspicari offenditum oportet, commilitones cum ipso, si iniuriam passus fuerit, commilitari renisuros, eoque principem eum dimittere coacturos esse. Id quod poenam mitigandi cauissam saepius grauiorem, etiam si

inter-

superiaceum de hac re differere nobis visum est, quam si poneremus, neque ad hanc legem, neque ad C. C. C. disposit. sed ad ius mere singulare eam referri vellemus. Affirmanti vero incenbit probatio. LEYS. spec. 255. m. 3. Quodsi iis competere ea tantum creditur, ad plenum certe moderamen nunquam sufficiet.

k) arg. I. 5. C. ad I. Iul. Maiestatis.

interactori amplior atque excelsior sit animus, praebet. Impunitam occisionem dimittere neque haec ratio sufficit. Nam damnum illud periclitanti instaturum non iuris sed facti est eiusdemque mali, neque iniuria iniuriantis sed commilitonum peruersitate ac principis iniuria perdit laesus salutem.

### §. XX.

Iam vero cum facile aliquis opinari possit, iure canonico humanitati et moribus plus tribuente multa de arguento, in quo versamur, mutata esse, non praetermittenda putauimus, quae in hoc iuris, volumine de re nostra sint disposita. Conuenire eadem cum iure Romano, et omnia prohibita esse videntur, quaecunque in ciuitate prohiberi ius naturale permittit. Quae vetari nequeunt, priuatis relictam sunt. Non solum is, qui mortem aliter vitare non valens inuasorem occiderit, peccasse negatur l), verum etiam generaliter violentiae per vim repulsio semper iusta, naturalis et aequa haberi affirmatur m). Quodsi quis laicus furem sine odii meditatione, se suaque liberando, occiderit, poenitentiam agere non iubetur n). Id quod satis est ad negandum, nos iussos esse dece-  
dere

l) Cl. vn. de homic. volunt.

m) c. 7. D. 1. Cl. 2. ad fin. de sent. et re iudic.

n) c. 2. X. de homic. volunt.

dere de bonis, ne occidendo forte vitam seruare necesse esset. Minime autem ex eo furis ob rerum duntaxat conseruationem obruncandi licentia colligi potest, cum *vtrumque* tantum non *se vel sua* caede liberare permittitur o). Et recte interpretatos esse apparemus ex lege illa, quae per XII Tabb. apud Rom. introducta, atque a pontifice e iure Mosaico repetita p), furem nocturnum solum interimere concedit, cui hoc loco adiectam rationem inuenimus, cur nocturni a diurno distinctio facta sit, quod scilicet interdiu discerni posset, ad furandum non ad occidendum eum venisse. Accuratus etiam quam iure Rom. ab Alexandro III. determinatum reperimur, quatensis contra furem simplicem defendant procedere licet q). Latrones enim de nocte domum quan dam ingressos ii, qui ab ipsis afflitti et vestimentis denudati erant, resumti postea viribus ligauerunt, ut ad poenam eos detinerent. Deinde alter eorum, qui ipsis ligauerant, ne ipse ab iis se soluere nitentibus interimetur, detentos occidit. Vtrique pontifex poenam decer-

o) Copulatiue haec verba intelligenda esse probat etiam OBR. D. de def. nec. c. 8. n. 36. Idemque colligi debet ex c. 10. X. eod., vbi expedire potius, rerum sustinere iacturam, quam pro conseruandis vilibus rebus et transitorii tam acriter ad occidendum usque in alios exardescere, decretum inuenitur.

p) c. 3. X. eod. Exod. XXII, v. 2. 3.

q) c. 10. X. eod.

decernit. Licet igitur sarem persequendo in vitae periculum nos adducere, ut res ablatas ei eripiamus, non vero ut poenae sumendae causa eum retineamus. Ibi enim a laedendo solum eum arceamus, hic ultra progrederimur.

### §. XXI.

**R**eliquum est, ut de iis dicamus, quae de quaestione nostra in constitutione criminali Carolina disposita esse nobis videntur. Eademque maximū certe momenti esse credimus, cum lex illa non solum vim iuris communis per Germaniam habeat, sed primum etiam locum in rebus criminalibus teneat. Pauca tamen ad rem absoluendam sufficient, tum ob ea, quae iam differuimus, tum ob legis ipsius simplicitatem. Et omne quidem rei argumentum continetur artt. 139 et 140. Quorum in priori imperator, se inter ea, quibus homicidium excusatur, primum de moderamine inculpatae tutelae dispositorum esse, antea professus, eum, qui vitam corporusque tuendi causa aduersarium occiderit, scelere obstrictum esse negat. Sequenti art. ipsum moderamen definitum iri indicat, et repetita vice corpus vitamque homicidio defendantem poena liberum esse iubet. Sed bonis vel existimationi instantis periculi propulsione homicidium excusari neutro loco inuenimus. De sola periclitantis suga potius quam caede mortem

eui-

euitandi obligatione imperator hocce limitat, vt fugere eum teneri neget, quoties existimationi et famae fugientem timere oppoteret r).

Interpretatione legem a nobis relatam egere dubitamus. Permittit ea videlicet occisionem ad periculum tantum a capite vel corpore, si huic laesio maior ex instrumento lethali imminet, propulsandum. Quod vtique ex legis ratione secundum ea, quae supra diximus, explicandum neque ad verba coar-

G

ctan-

r) BOEHM. medit. ad C. C. C. art. 140. §. 2. verba *Chr und guten Leunuths* ad decisionem articuli trahit, et COTHMANNI T. V. Conf. 2. n. 214. a se dissentientis plurimorumque interpretum sententias diuinatorias esse atque evidenter aduersari affimat. Postea vero pro sententia sua eodem modo ea interpretari videatur. Consentire nobis videtur etiam CARPZ. pr. cr. qu. 30. n. 36. nisi quod restringat hunc locum ad eos, qui vel ratione potestatis et datae fidei, vel ex alia obligatione singulari, vel affectione alteri periclitanti succurrere obstricti et deuincti sint, n. 62. Perinde ac nos verba interpretantur MATTHIAS STEPHANI ad C. C. C. art. 140. MEVIVS P. VIII. Dec. 118. Varia, quae de hoc loco interpretes opinati sunt, v. ap. BOEHM. elem. iur. crim. S. II. §. 208.

s) Ad instrumentum lethale art. restringit CARPZ. l. c. atque aliam telum eiusmodi, pugnoque percussum in discrimine vitae constitutum esse negat. Qua de re dubitamus, atque ad metum offensi non vanum eundemque a iudice diiudicandum omnem rem reducere malumus. Nam in casu, qui inuenitur ap. LEYS. spec.

ctandam esse videtur s). Non iubet eadem existimationem perdi, ut vitae aggressoris parcatur t). Sub quo iuris manuarii reliquia latere credunt, et credimus ipsi, eaque omnia etiamnum nondum euauisse concedimus x). Minime igitur imperator, id quod neque ex iure naturali ei licuit, ciues bonum aliquod proiicere iubet, quamvis vulgi opinione tantum illud nitatur. Forte vero Germanis honoris et defensio-  
nis priuatae studiofissimis eiusmodi quid voluisse ille videri, atque in hac iniustitia reprehendi ab iis potuit, ideoque de honore sententiam suam decarat. Qua ex re tamen simul sequitur, licere etiam res retinere, quamvis absque vitae periculo id fieri nequeat. Nam singuli aliqui dignitatem illam, quam per iniuiiam eadem affectus amittit, pluris habento, quam opes, vulgi tamen opinione, quam imperator femet offendere videri

no-

600. m. 9. quo filius quidam patris vapulantis per homicidium defensor a capitibz tantum poena a ICtis Witemberg. absolutus ad relegationem cum fustigatione condemnabatur; excessus in carcere adfuit, qui apparet e patris verbis ibi relatis: Stich zu — Quae id. spec. 604. m. 8. sqq. de armis lethalibus assert, ad poemam ex occidendi animo in delinquente inde praesumendo determinandam spectare videntur. Restrictionem ad membra nobiliora a MAVRIT. de duellis §. 24. laudatam refutat BOEHM. I. c.

t) Eodem modo att. interpretatur LEVS. spec. 600. m. 21.

x) BOEHM med. ad C. C. C. art. 140. §. 2.

noluit, bonum hocce semper nititur. Contra rerum dominium ex veris iuribus constat, verumque bonum esse a quocunque existimatur. Quisnam igitur concedere dubitabit, imperatorem ea expresse dixisse, quae in dubium, populo suo maximi momenti futuram, forte vocari possent, caetera, de quibus dubitari plane nequeret, adiicere superuacaneum habuisse y).

Deinde addit ille, se haec seruari velle, licet legibus scriptis et consuetudinibus ea contraria esse aliquis opinetur.

## §. XXII.

Quae quamquam ita fese habent, nihilominus alii reperiuntur, qui constit. crim. Car. etiam bonorum seruandorum causa occisionem permittere contendunt, idque propterea, quod in art. 150 eum quoque, qui ad alias vitam, corpus aut bona propu-

G 2

gnanda

- y) Sic etiam contra in militiam querentes defendendi per homicidium licentiam hic subintellectam censet LEYS. spec. 600. m. 5. Minus vero responsum ab eo recitatum ad nostrum locum pertinet, quod in eo poena tantum mitigatur, nec in sua ciuitate licet iniuste in militiam quæsitus omnia sibi consulendi media amississe videtur, cum ii, qui rempublicam regunt, iniusti aliquid agi voluisse, praesumi nequeant.

gnanda hominem occiderit z), impunitum dimitti iussum inueniunt, eoque artt. prius dictos supplere non dubitant a). Sed quo iure id fieri possit, nos quidem nondum perspectum habemus. Ibi enim de ipso moderamine inculpatae tutelae imperatorem praecipere vidi-

z) Item so eyner zu rettung eynes andern leib, leben oder gut jemandt erschlecht.

a) Quod igitur *remoueri* non opus est, sicuti nouo ausu FROMMAN-  
NVM D. de fuga §. 26. art. 150. illud remouere, caedemque intuitu  
rerum commissam non omnino impunem declarare ait eumque  
refutat BOEHM. in med. ad C. C. C. art. 140 §. 3. Supplendos  
esse ex hoc loco reliquos artt., sicuti ille ex hisce suppleri de-  
beat, cum de honore hic altum silentium, contra bonorum peri-  
culum ibi omisum insertum sit, censet id. 1. c. art. 150. §. 1.  
Addit etiam in art. 140. §. 3. fidem TENGLERI im Layen Spiegel  
P. III. art. 9., quem regulam de mod. inc. tut. tribus obiectis  
Leib, Leben oder Gut circumscribere ait. Sed contrarii potius  
argumentum hocce videtur. Plura enim inde in Coralinam toti-  
dem verbis migrarunt, bonorum vero mentio in Carol. omis-  
sa inuenitur. Quo iure denique ad res mobiles tantum plenum mo-  
deramen restrinctat, res immobiles contra art. 150. sanctionem  
in art. 140. ab ipso suppletam generalem excludat, prorsus nesci-  
mus. Re enim ipsa spectata neque res mobiles recuperari ne-  
queunt; si circumstantias aspexeris, etiam immobiles interdum  
restitui non poterunt, vel deterioratae, puta arboribus succi-  
fis etc., vel dolo aut culpa praedonis v. c. aggeres fluminibus  
obiectos male sustinentis prorsus interitae. Nobis in hoc art.  
interpretando consentit IOH. BRUNNEMANN in tract. de inquis.  
proc. c. 9. n. 57.

vidimus, in huius art. rubro ille profitetur, se excusationes, quae  
praeterea homicidas defendant, aliquas non tractaturum, sed  
summatim attacturum esse. Ex quo coniicere vtique possumus,  
inculpatae tutelae quoque mentionem hic forte nos inuenturos  
esse, quae fit quoque, et sicuti quidem opinandum erat, inter  
alia, cursim et breuiter. Commemoratur illa vel inconsulte et te-  
mere, vel, quod perquam verisimillimum nobis videtur, vt du-  
tatio, quae secundum art. 139. 140 de homicidio alius tuendi  
caussa commisso esse possit, tollatur. Ad modum inculpatae tu-  
telae et iura singula, quae vel ipsa et proxime, vel per consequen-  
tiā occidendo tueri liceat, quod attinet, Carolus hunc articulum  
constituens, priores illos in mente habuisse videtur. Minime  
certe ex hac parte supplere eos voluit, sed dum accidebat, vt bona  
ibi subintellecta hic adiiceret, casus cogitauit tantum vulgares  
quibus bona nisi cum vitae periculo retineri nequerent b). Im-  
mo dubium fere nullum nobis est, quin recte contendatur, ipsum  
illum professum esse, eam, quam diximus, sententiam suam fu-  
isse, et noui aliquid hoc art. introducere se plane noluisse. Nam  
prope finem ob casuum dictorum difficultatem iudices ad perito-

rum

b) CARPZ pr. crim qu. 32. n. 22. 27. 28. 31. Vix, inquit, casus  
contingere poterit, quo rerum defensio cum corporis vitaeque  
periculo quodam coniuncta non sit. Cf, supra §. 18, not.

rum consilia remittit, quibus tamen praeter ius Romanum et  
vel canonicum, et sanam mentem nil prorsus fuit, vnde ipsi  
confilium peterent. Nos igitur ad te remittimus, beneuale  
Lector, num ea, quae de re quadam consulto et singulatim con-  
stituta inuenieris, ex iis, quae ipse legislator leuiter in transitu  
se attigisse professus erit, an haec ex illis supplere et corrigere  
malis?

e) E. F. KLEIN Grundsaetze des gem. Deutschen peinl. R. §. 115,  
not.



Pol. 8, II. 2560 - 2563





